



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendivm Totivs Tractatvs De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

2. Religio & Religiosus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

fœmina sit cuiuscumque status: id enim nihil refert: nisi vir rapiat uxorem. Verum scilicet dicendum, quando fœmina cognoscitur ignorans, aut dormiens sine vi. Item quando sit sine causa libidinis, sed aliâ causa. Erit tamen reductio raptus, quando puella abducitur ignorantibus parentibus, aut tutoribus, l. 7. d. 12. à nn. 30. usq; ad 40.

6. Mulier rapiens virum, vel aliam mulierem, non subditur eisdem poenis raptus, sed alia poena extraordinaria punienda est, lib. 7. disp. 12. nn. 25.

7. Ad raptum poenis iuris subiectum quadruplex conditio desideratur. 1. Ut adsit violentia. 2. Ut fiat causa libidinis. 3. Ut sit traductio de loco ad locum. 4. Ut mulier rapta sit honestæ vitæ, lib. 7. disputat. 12. à num. 1. usque ad 23.

*De Religione, &c. Religioso.*

1. Religionem ingredi licet post matrimonium ratum, ita ut vinculum talis matrimonij omnino dirimatur solemnni religiosi professione per alterum contrahentium emissam, & coniux manens in seculo liberè possit ad alias nuptias transire, lib. 2. disp. 18. num. 3. non tamē dirimitur matrimonium ratum per vota emissa ab illis, quas vocant Beatas non seruantes clausuram, quia non sunt religiosæ: quod de ijs quoq; qui simplicia dūtaxat vota emittunt in tertio ordine S. Francisci, dicendum est. Et de eremitis hoc tempore, num. 4. & 5. Et de al-

cen-

cendentibus ad ordinem sacram vel episcopatum, quia non idcirco profitentur solemniter sicut religiosi, *num. 9.* Bene tamen dirimitur per professionem equitum S. Joannis, & aliorum religiosorum in ordinibus militaribus quorum equites sint verè religiosi, *numer. 7.* hæc matrimonij dumtaxat rati, necdum consummati dissoluto per religiosam professionem, vim habet ex solo iure diuino posituo, quo Christus hoc priuilegium professioni illi concessit, *ib. d. 19. nu. 3.*

2 Religiosi virtute priuilegiorum quibus possunt ministrare Eucharistiam præterquam in die Paschatis, non prohibentur illam eo die ministrare vagis, aduenis, & peregrinis, qui in eo oppido minimè contraxerunt parochiā habitacionis, quia nec ibi habitarunt, nec animum habitandi habēt maiore anni parte: quia administratio illa non est parocho iniuriosa, *lib. 3. disp. 23. num. 17.* Idem est de administratione facta mercenarijs ad breue tempus locantibus operas, ut ad fodiendum, &c. & vel carentib. parochia, vel distantib. ab ea, quam in patria habent, *ib. nu. 18.*

3 Religiosus ex regulari constitutione abstinentia carnibus, si die natalis domini incidente in sextam feriam cum alijs omnib. permittitur eo die carnes edere, edat etiam ipse carnes, non peccat contra prohibitionem iuris communis: quod si constitutio regularis personam illam non obliget ad culpam, non

pcc-

peccabit in ea abstinentiae violatione , lib.7.  
disp. 8. num. 16.

4 Religiosi peccant, si in Baptismo aut Confirmatione suscepentes sint , ut patet ex iuri bus id vetantibus. Quia tamen nullum est in eis verbum, quod factum irritet sunt veri susceptores , & contrahunt cognitionem spiritualem , l.7. dis. 60. nu. 21.

5 Religiosus non aduersatur motui proprio Clementis 8. quo interdixit religiosis, ne largirentur munera, nec violat votum paupertatis, quando profiteretur, se nolle acceptare, & si dicat sic: eâ re nō indigeo: si tibi placuerit, gratum mihi facies, si dederis meo consanguineo. Secus, quando religiosus expressè , vel tacite acceptet, & petat dari consanguineo. Item conuentus repudians legitimam monachi absque iusta causa iam delatam ante acceptationem, non violat motum proprium. Clem. VII. quia eam repudiare non est alienare , nec dare. Peccabit tamen mortaliter contra charitatem, si absque iusta causa religiosus priuatus rem sibi donatam nollet acceptare, sed rogaret alij dari, quia impedit bonum monasterij , li.6. disp. 4. nu. 7.

#### *Remissio.*

1 Remissio debiti faēta , quia creditor desperat, se alias recuperaturum, vel si debitor mentiatur, dicens, se paratum esse ad solvendum, valida est, nisi aliqua fraus, vel culpa debitoris interueniat. Nec similiter vitiabitur remissio.